

παλαιότητες δι' ἐπῶν. Πορφύριος δὲ τοῦ προτέρου οὐδένα πρεσβύτερον δέχεται, αἰεὶ ἐκείνον μόνον ἡγεῖται ἀρχηγὸν συγγραφεῖς.

Φερεκύδης Λέριος ἱστορικὸς γεγονὸς πρὸ ὀλίγου τῆς οἰ' ὀλυμπιάδος, περὶ Λέριου, περὶ Ἰφιγενείας, περὶ τῶν Διονύσου ἑορτῶν καὶ ἄλλα.

Nimirum eundem fuisse Lerium et Atheniensem iam Vossius de historicis Graecis p. 25 W. hoc argumento euincere sibi uisus est, quod Eratosthenes Strabo X, 5, 8 p 487 ceteri unum modo nouerint Pherecydem historicum: idemque Muellerus I p. XXXVI eo confirmari putabat, quod Eusebius olympiade 81 Pherecydem historicum floruisse tradit, eadem scilicet aetate, quam Lerio tribuit Suidas. Dubitationem quandam primus mouit Rohdus noui musei Rhenani u. XXXIII p. 210 sq., quod libri quos Lerium scripsisse Suidas perhibet, posteriori potius aetati conuenire uiderentur. Mihi ut tertium praeter theologum et genealogum Pherecydem fuisse existimem praeter cetera persuadet Clementis Alexandrini locus Strom. V, 8 p. 671 sq. (fr. 113) *πρὸς δὲ καὶ τῶν ἄλλων βαρβάρων ὅσοι φιλοσοφίας ὠρέχθησαν τὸ συμ'ολικὸν εἶδος ἐξήλωσαν, φασὶ γοῦν καὶ Ἰδανθύραν τὸν Σκυθῶν βασιλέα, ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης ὁ Σύριος, Δαρείῳ διαβάντι τὸν Ἰστρον πόλεμον ἀπειλοῦντα πέμψαι σύμβολον μὲν βάρβαρον ὄρνιθα οἰστὸν ἄροτρον.* Sequitur iam narratio similis Herodoteae illi III, 131 nisi quod falsa signorum explicatio tribuitur Orontopagae chiliarcho, uera Xiphodrae iisque etiam aratri rationem habendam fuisse patet. Finem faciunt haec: *Ἀνάχαρσιν τε τὸν Σκυθῆν φησὶ καὶ αὐτὸν κοιμώμενον κατέχειν τῇ μὲν λαίᾳ τὰ αἰδοῖα, τῇ δεξιᾳ δὲ τὸ στόμα, ἀνιπτόμενον δεῖν μὲν ἀμφόιν, μεῖζον δὲ εἶναι γλώττης κρατεῖν ἢ ἰδονίς.* In promptu est pro φησὶ reponere φασί: quamquam ne sic quidem liceret de Atheniensi cogitare, quem uel in stirpibus heroum persequendis semel tantum ad tempora suis propiora descendisse uideamus (fr. 20). At potuit profecto posterioris aetatis scriptor utramque narrationem similiter coniungere atque grammaticus is quem sequitur Strabo VII, 3, 8 p. 301 Anacharsidis mentionem cum Idanthyrsi regis sociauit. Quod cum facile sit apud Clementem cum Sylburgio Vossio Wesselingio pro ὁ Σύριος rescribere ὁ Λέριος, maluerim hos sequi quam ipsius scriptoris errorem statuere, qualem sane commisisse uidentur Macrobianorum auctor e. 22 p. 224 et Tzetzes exeg. in Il. p. 38. Eundem quem